



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. IV. Quis sit minister hujus Sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

re mihi in fide; tum etiam, quia matrimonium illud firmitus efficitur per baptismum, cum non sit tunc amplius dissolubile, fidei causa; subindeque tunc melius exprimat insolubilitatem matrimonii spiritualis inter Christum & Ecclesiam.

In hoc sensu interpretatur Basilii Pontius S. Thomam, dum ait in 4. sent. dist. 39. quæst. unica art. 2. ad 1. matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, sed habitu: Unde ait quod S. Doctor, Sacramenti nomine, non intellexit Sacramentum strictè sumptum, sed Sacramentum latè sumptum, quatenus est mysterium quoddam conjunctionis Christi cum Ecclesia: quam significationem sentit D. Thomas non convenire actu matrimonio nisi suscepto baptismo.

62 Verum hæc interpretatio non videtur legitima, nec ad mentem S. Doctoris, qui loco citato manifestè loquitur de Sacramento propriè & strictè sumpto, nam sibi hoc argumentum objicit: Videtur quod inter fideles non possit esse matrimonium, nam matrimonium est Sacramentum Ecclesie: Sed Baptismus est janua Sacramentorum: Ergo infideles qui non sunt baptizati, matrimonium contrahere non possunt, si nec alia Sacramenta suscipere. Ubi manifestè sermo est de Sacramentis propriè & strictè sumptis; unde si in solutione loqueretur solum de Sacramento latè & impropriè sumpto, argumento sibi propolito non satisfaceret, sed in quo voco laboraret.

63 Melius ergo respondetur, D. Thomam loco citato solum velle quod matrimonium infidelium, quantum est de se, & ex ratione contractus maritalis, est capax status Sacramentalis, illiisque vere acciperet, si contraherent in fide Ecclesie jam suscepta per baptismum. Quo sensu dicit, matrimonium tale esse aliquo modo Sacramentum habitu, licet, quamvis non actualiter, eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesie.

64 Ex dictis in resolutione hujus quæstii colligitur, matrimonium quoque civiliter contractum à fidelibus contractum, accedente novo consensu, non fieri Sacramentum. Intentio enim sequens contractum prius initum, non potest efficere ut quod non fuit Sacramentum, incipiat esse tale; præsertim cum ratio Sacramenti (ut supra dicebamus) sit annexa fieri ipsius matrimonii, non verò facto esse illius. Aliunde verò, quantumcumque conjuges consensum renovent, & verba repetant, non efficiunt novum matrimonium, sed duntaxat præcedens ratificant & confirmant; quia (ut supra ostensum est) contractus matrimonii inter eosdem reperi nequit, defectu materie ad novum contractum habilis.

ARTICULUS IV.

Quis sit minister hujus Sacramenti?

S. I.

Referuntur sententia, & vera eligitur.

65 Guilielmus Parisiensis libro de Sacramentis, tract. de matrimonio cap. 9. quæst. 2. Melchior Cano lib. 8. de locis Theologicis cap. 7. & Sylvius ad quæst. 42. supplementi art. 1. quæst. 1. censent Sacerdotem, verba quibus sponso benedicunt proferentem, esse ministrum matrimonii, quatenus Sacramentum est; subindeque

A matrimonium sine Sacerdote celebratum, non esse Sacramentum, quamvis contractus civilis esse possit. Catharinus verò opuscul. de matrimonio quæst. 2. docet ministrum matrimonii, quatenus Sacramentum est, esse Deum ipsum, quæ verò formam verba illa: *Propter hoc relinquitur pater & mater, & adheret unusquisque alteri semel a Deo in paradiso prolata*, & a Christo confirmata, conjugia continuo sanctificant. Nec est necesse (inquit) ea ab aliquo ministro proferri; nam licet lex scripta semper loquitur ad omnes, ita & forma matrimonii per modum legis a Deo sancta, semper loquitur ad omnes matrimonium contrahentes.

Verum communis accerta reliquorum Theologorum sententia est, ministrum matrimonii etiam ut Sacramentum est, esse ipsos contrahentes, non verò Sacerdotem illos benedicentem, subindeque verba illa quæ proferunt, *Ego vos coniungo*, &c. non habere rationem forme, nec ad hujus Sacramenti essentiam pertinere, sed tantum ad quod Sacramentale, ita expresse docet S. Thomas in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 1. ad 1. ubi sic ait: Verba quibus confectus matrimonius exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale. Et quæst. 45. supplementi art. 5. in corp. & ad 2. docet quod verba Sacerdotis sunt tantum ad solemnitate matrimonii.

Dico igitur, Ministrum Sacramenti matrimonii esse ipsos contrahentes, non verò Sacerdotem ipsos benedicentem, & hæc verba, *Ego coniungo vos*, proferentem.

Colligitur ex Florentino in decreto Eugenii ubi Pontifex docet, hoc Sacramentum solo contrahentium consensu perfici: At hoc est talis sum, si ad ipsius validitatem necessarius esset minister à contrahentibus distinctus, cum ex doctrina ejusdem Concilii in eodem decreto, ut Sacramentum perficiatur, tria requirantur, nempe materia, forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione facienti quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, Sacramentum non perficitur: Ergo ad valorem hujus Sacramenti, non requiritur minister, à contrahentibus distinctus.

Favet etiam Tridentinum sess. 24. cap. 7. de reformatione matrimonii, affirmans matrimonium clandestinum, quæ fiebant absente Sacerdote, & sine ullis ejus verbis, fuisse valida, quantum Ecclesia non fecit ea irrita: Sed talia matrimonium non potuissent esse valida, si Sacerdos sit minister hujus Sacramenti, & verò quæ proferunt illius formæ. Ergo ex Tridentino Sacerdos non est minister Sacramenti matrimonii, nec verba quæ proferunt benedicendo sponso, habent rationem forme. Unde can. 11. Sacerdosalem benedictionem inter ceremonias ab Ecclesia adhiberi solitas adhiberi recenset.

Confirmatur ex declaratione Cardinalium interpretationi Concilii Tridentini præfectorum, facta Episcopo Salmantino, in qua expresse dicitur, quod verba Sacerdotis non pertinent ad substantiam Sacramenti matrimonii. Verba ejus hæc sunt: Non pertinet ad substantiam matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat: idcirco matrimonium, quamvis verba exprimentia confectum, prolata sint tantum à contrahentibus, dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id quod agitur, licet dissentiat & contradicat: quibus verba Parochus intelligitur, etiam si ex alia causa princip-

iter esset vocatus, dummodo sit adhibitus etiam ad illum actum. A

Solvuntur objectiones.

Confirmatur ampliùs ex praxi Ecclesiæ: nam etiam nunc iis in locis ubi constitutio Tridentina est recepta, quando aliqui contrahunt in facie Ecclesiæ, cum occulto impedimento, eo sublato per dispensationem, non est opus, ut contrahant iterum, præsentem & loquentem Sacerdotes; sed sufficit ut clam contrahant inter se, vel affectum maritali signo aliquo externo sibi mutuo significant, quemadmodum declaravit Pius V. esse Navarro in Manuali cap. 22. num. 70. tuncque Sacramentum & matrimonium incipit esse ratum, quod antea invalidum & nullum erat.

71 Denum suaderi potest conclusio hoc discursu: Christus hoc Sacramentum instituit, nihil aliud fecit, quam contractum matrimoniale, naturali ac civili iure validum, in Sacramentum gratiæ collativum evehere; & indeque eisdem voluit esse huius Sacramenti ministros ac contractus naturalis & civilis, qui est ejus fundamentum: Sed talis contractus ministri sunt ipsi contrahentes, qui per mutuum consensum se invicem obligant ad mutuam sui corporis traditionem: Ergo etiam ipsi conjuges sunt ministri Sacramenti matrimonii, non verò Sacerdos nuptialem benedictionem ipsis tribuens.

72 Ex dictis confutata manet singularis sententia Catharini, asserentis Deum esse huius Sacramenti ministrum, ut enim ex Florentino & Tridentino ostendimus, ipsi contrahentes sunt ministri matrimonii, tum in ratione contractus & officii naturæ, tum in ratione Sacramenti: unde primi matrimonii ministri fuerunt nostri Protoparentes, qui illud sibi in paradiso ministrarunt, cum vir dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Cui credendum est, æquivalentibus verbis Evam respondisse. Deus verò huius matrimonii fuit author & institutor, nam in ratione contractus & officii naturæ, ab exordio mundi illud instituit, & in lege Evangelica Christus ad dignitatem Sacramentali contractum elevari, ei adjuvendi gratiam, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ut ait Tridentinum sess. 24. In hoc ergo hallucinatur Catharinus, quod authorem & institutorem matrimonii, cum ejus ministro confundit.

73 Absurdum etiam est quod addit formam huius Sacramenti esse verba illa semel ab Adamo autoritate Dei prolata: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ. Nam inter materiam & formam huius Sacramenti debet esse moralis conjunctio, quæ non est inter illa verba ab initio mundi prolata, & actus contrahentium, qui sunt materia hodierni conjugii. Nec fit est quod hæc verba sint scripta, & fuerint semel à Deo prolata, ut ait Catharinus: quemadmodum enim ut verba reliquorum Sacramentorum, cum præsentia materia concurrant ad Sacramentum conficiendum, non sufficit quod semel fuerint à Christo prolata, & scriptura mandata, sed debent toties à ministro proferri, quoties Sacramentum conficitur: ita ad Sacramentum matrimonii conficiendum, non fit est ejus forma semel fuerit à Deo prolata, & postea scripto mandata, sed debet toties à ministris proferri, quoties novum matrimonium Sacramentum conficitur.

74 Contra præcedentem conclusionem obijciuntur in primis aliqua Conciliorum & SS. Patrum testimonia, quibus significari videtur, Sacerdotem sponso benedicentem esse huius Sacramenti ministrum. In primis enim Concilium Colonienſe anno 1536. sub Paulo III. celebratum, parte 7. cap. 40. sic ait: Si quis hoc Sacramentum (matrimonii) sicut debet accepit, accedente Sacerdotali precatone, conficiat donum spiritus, quo vir diligit uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam: mulier vicissim propter Christum amet, revereaturque virum suum ut dominum. Quibus verbis significatur, gratiam in hoc Sacramento conferri per Sacerdotis precatorem, seu benedictionem, subindeque Sacerdotem esse illius ministrum. Unde in Enchiridio cap. penultimo dicitur, Sacerdotes legitimos esse huius Sacramenti ministros. Similiter Synodus Cameracenſis anno 1567. celebrata cap. 1. de matrimonio, vocat Parochos huius Sacramenti ministros. Item Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, dicit ejus administrationem ad Parochos pertinere.

Confirmatur: Evaristus proximus Apostolis, quintus à Petro Pontifex Epist. 1. ad Episcopos Africanos, & refertur 30. quest. 1. can. 1. conjugia absque Sacerdotis ministerio & benedictione celebrata, appellat adulteria, contubernia, stupra, fornicationes; quia nimirum carent legitimo ministro, & verbis ejus, quæ pro forma instituta sunt. Item Nicolaus I. Epist. ad Rodoldum Protuensensem, & Joannem Nicolsensem Episcopos, de Lothario Gallicarum Rege scribit, ut habetur 31. quest. 2. can. Lotharius quod si matrimonium inter ipsum & Waldradam, non fuerit cum benedictione Sacerdotis celebratum, ipsum dissolvant.

Ad objectionem respondeo Concilium Colonienſe idcirco dicere, accedente Sacerdotali benedictione, conferri gratiam conjugibus, quæ se mutuo diligant, quia licet hæc benedictio non sit necessaria necessitate Sacramenti, est tamen necessaria necessitate præcepti, & consequenter non est quidem causa gratiæ quam ex opere operato tribuit Sacramentum, bene tamen conditio sine qua non. In quo etiam sensu intelligi debet Ambrosius, cum Epist. 70. ait conjugium Sacerdotali benedictione debere sanctificari; solum enim his verbis significare vult, Sacerdotalem benedictionem esse conditionem necessariam ex præcepto Ecclesiæ ad sanctitatem quæ est effectus huius Sacramenti. Cum verò Concilium Colonienſe & Cameracenſe, ac Rituale Romanum vocant Parochos huius Sacramenti ministros, loquuntur de hoc Sacramento, præcisè quoad solemnitatem sive ceremoniam accidentalem, quæ adhibetur à Sacerdotibus conjugibus velantibus ac benedictibus; soli enim Parochi huius ceremoniæ sunt ministri ordinarii; ideoque in Concilio Viennensi sub Clementi V. excommunicantur Religiosi matrimonia solemnizantes, id est solemniter benedicentes, quia usurpant officium Parochi, & actum jurisdictionis, quam non habent.

Ad confirmationem respondeo matrimonia absque benedictione Sacerdotis celebrata, ab Evari-

Evaristo idcirco adulteria & contubernia dicta fuisse, quod licet vera essent & valida, etiam in ratione Sacramenti, non erat tamen licita, quia benedictio Sacerdotis semper fuit ab Ecclesia requisita, saltem sub præcepto. Post Tridentinum verò præsentia Parochi non solum est de præcepto, sed etiam de necessitate Sacramenti, non defectu ministri, sed defectu solemnitate à jure præscripta, & conditionis sine qua contractum matrimoniale invalidum esse decernit.

Diff. 4.
art. 3.

De quo infra.
Dici etiam potest, Evaristum Epistolâ citatâ loqui de valore matrimonii in foro externo, quod ex eo patet, quod ibidem, præter benedictionem Sacerdotalem, multa alia ad ejus valorem requiruntur, ut quod mulier ducatur à paronymis, quod detetur &c. additque quod matrimonia aliter contracta, sunt potius fornicationes, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.

78 Ad Nicolaum I. dico ipsum agere de causa Lotharii Gallie Regis, qui anno 862. Teutpergam legitimam uxorem repudiavit, ut Waldradam pellicem duceret, præterens matrimonium fuisse nullum, quod Teutperga (ut metu coacta confessa fuerat) incestum commisisset; & quod ipse metu Lotharii Patris, cum Teutperga matrimonium contraxisset: de qua tragedia vide Baronium ad annum 862. Scribit ergo Nicolaus Legatis suis, ut si Lotharius non probaret Waldradam fuisse sibi uxorem legitimam, neque nuptiis more solito celebratis, per benedictionem scilicet Sacerdotis, sibi fuisse conjunctam, declararet matrimonium Lotharii cum Teutperga fuisse validum.

79 Obijciuntur secundo aliqua testimonia D. Thomæ, quibus videtur asserere, Sacerdotes esse hujus Sacramenti ministros nam in 4. sententiarum dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 5. hæc scribit: *Matrimonium secundum quod est in officium, & poenitentia secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum, sed secundum quod utrumque est Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesie consistens, utrumque habet aliqua verba. Et contra Gentes cap. 78. docet, eatenus matrimonium dici Sacramentum, quatenus per ministros Ecclesie dispensatur, unde benedictio (inquit) nubentibus, per ministros Ecclesie adhibetur.*

80 Verum ad hæc facile respondetur, D. Thomam iis locis non loqui de ministro & forma hujus Sacramenti, quantum ad substantiam, sed quantum ad solemnitatem & ceremonias accidentales, ex præcepto Ecclesie requisitas. Unde post verba primo loco adducta, ista subnectit: *Sicuti in matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ. Non igitur verba Sacerdotis, ut falso Canus asserit, sed verba conjugum consensum exprimentia, S. Thomas assignat pro forma matrimonii, ut Sacramentum est, ipsasque benedictiones quas Sacerdos conjugibus dat, non à Christo, sed ab Ecclesia aut institutas, subindeque matrimonio non esse essentielles, sed merè accidentales.*

81 Non favet etiam secundus locus sententiæ Cani, nam ut ibidem Ferrariensis explicat, non eo fine S. Doctor dixit, matrimonium per Ecclesie ministros dispensari, quod putaverit ipsius ministrum esse Sacerdotem: Nullus enim actus ministri Ecclesie (inquit Ferrariensis) est de essentia matrimonii, sed tantum actus contrahentium, secundum

ad D. Thomam, sed ut ex hoc tantum non probaret, matrimonium non esse purum contractum naturalem, & civilem, sed Sacramentum à Christo institutum.

Obijciunt tertio: Concilium Tridentinum in sess. 24. de reformatione matrimonii, in fine celebrationem matrimonii in facie Ecclesie præscribit Parochus viro & mulieri interrogans, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ex quo sic formatur argumentum: Cum illa verba dicantur ex præcepto Ecclesie, atque adeo sint vera, Sacerdos illis mediatus verè conjungit in matrimonium sponsam & sponsum: Sed non conjungit eos efficiendo matrimonium, in quantum est contractum: Ergo in quantum est Sacramentum, & consequenter est minister hujus Sacramenti, & ejus verba sunt ipsius forma, sicut in aliis Sacramentis.

Respondet primò, Tridentinum loco citato non obligare Parochos ut in celebratione matrimonii, verba illa, *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* determinatè proferant, subdit enim: *Vel alii utatur verbis, juxta receptum antiquæ provincie ritum.* Quibus verbis aperte significatur, talia verba non esse formam matrimonii, quatenus Sacramentum est; alioquin non posset omitti, vel immutari, juxta ritum uniuscujusque provincie.

Respondet secundo, verba illa, *Ego vos in matrimonium conjungo*, non habere in rigore sensum quem præ se ferunt, sed istum: *Ego approbo vel benedico conjunctionem vestram, ut arbitror, vel ut alii volunt: Ego vos conjungo in facie Ecclesie, ut ab omnibus pro veris conjugibus habeamini.* Sicut dum quis ab excommunicatione absolutus in secreto, postea à iudice legitimo absoluitur in publico, sensus horum verborum quæ iudex proferit: *Ego absolvo te à vinculo excommunicationis, est: Ego approbo & declaro publicè, validam esse tuam absolutionem.*

Obijciunt quarto: Omne Sacramentum debet habere ministrum sacrum, qui verba aliqua sacra proferat. Sed contrahentes matrimonium, non sunt persone sacre, nec verba aliqua sacra proferunt, quibus consensum inter se expriment: Ergo non sunt ministri hujus Sacramenti, sed potius ipse Sacerdos, qui & persona sacra est, & verba sacra proferit, dum conjuges benedicit, ista scilicet: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Confirmatur: Si conjuges essent hujus Sacramenti ministri, sequeretur quod contrahentes matrimonium ipso statu peccati mortalis non solum eâ ratione quâ recipiunt Sacramentum, sed etiam eâ ratione quâ ipsum minister, peccarent mortaliter: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris manifestè videtur, ministrans enim aliquod Sacramentum in statu peccati mortalis, peccat mortaliter, peccato sacrilegii.

Ad objectionem respondeo primò, negando præmam partem Majoris, est enim manifesta manifestatio in baptismo, qui à laicis, imò & ab Ethnicis, valdè, & in multis casibus licite, administrari potest, ut docemus in Tractatu de baptismo. Præter quæ quod in matrimonio est specialis ratio, cur non debeat ab aliis quam ab ipso contrahentibus ministrari; quæ in aliis Sacramentis matrimonii est essentialiter quodammodo

et elevatus ad rationem Sacramenti; ministri verò contractus, non sunt alij quam ipsi contrahentes, ut supra ostensum est.

88 Respondeo secundò, data Majori, negando Minorem, quoad secundam partem: nam verba illa quibus utuntur conjuges ad consensum suum manifestandum, duobus modis spectari possunt: Primò secundum se, & sic non sunt aliquid sacramentum; Secundò, quatenus eis utuntur Christiani ad significandum ex intentione Christi & Ecclesie, non solum unionem corporum, sed etiam animorum, ad similitudinem conjunctionis Christi cum Ecclesia; quo sensu verba sacra sunt, cum ipsos conjuges sanctificent; & licet à pluribus pronuntientur, qui nihil sacramentum se facere cogitant, facis tamen est, ut illud facere intendat quod Christus instituit, quemadmodum de forma baptismi, ab infideli prolata, nihil tamen sacramentum cogitante, dici solet.

89 Ad confirmationem, nego sequelam Majoris, licet enim matrimonium contrahentes in mortali, peccent mortaliter, ut recipientes illud Sacramentum, non tamen ut ipsi ministri, quia non sunt ministri solemnitatis & officii, sed tantum necessitatis; sicut laicus qui conscientiam peccati mortalis habens, baptizat parvulum in extrema necessitate constitutum, non peccat mortaliter, ut docent communiter Theologi.

ARTICULUS V.

Quæ sit materia & forma huius Sacramenti?

Ex dictis articulo præcedenti confutata manet utraq; sententia Cani & Catharini, quoad materiam & formam Sacramenti matrimonij, quorum uterque materiam quidem in actibus conjugum, formam verò ille in verbis Sacerdotis eos conjungentis, hic in verbis à Deo semel prolatis, & scripto mandatis, collocat. In hoc articulo, in primis varias aliorum Doctorum sententias referemus ac refellimus, deinde veriorem seu probabiliorem eligemus. Unde sit

§. I.

Referuntur ac refelluntur variae Theologorum sententiae.

90 De materia & forma Sacramenti matrimonij non parva est dissensio inter Doctores. In primis enim aliqui censent, materiam contractus & Sacramenti matrimonij, esse mutuum conjugum consensum; formam verò esse signa exteriora, consensum inter se exprimentia, quæ regulariter solent esse verba. Ita Glossa in cap. Epæ, de sponsalibus, quam ex Canonistis sequuntur Rebellus, Navarrus, & Covarruvias; ex Theologis verò Capreolus, Deza, & Martinonius. Alij e converso existimant, quod consensus interni contrahentium sunt forma; verba autem eosensum illum exprimentia sunt materia, quia consensus perficit verba, quandoquidem sine consensu verba nihil efficerent. Sic Joannes Major in 4. dist. 26. qu. 1.

91 Sed hæc duæ sententiæ videntur à veritate alienæ, nam materia saltem totalis Sacramenti, & forma illius, debent esse per se sensibiles, ut patet inductione in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, &c. Sed utriusque contrahentis consensus internus, non est per se sensibilis, sed tan-

Tom. V.

tum ratione expressionis exterioris: Ergo præcise sumptus, nec materia, nec forma huius Sacramenti esse potest. Dixi materia saltem totalis, quia non est inconveniens quod materia partialis Sacramenti sit insensibilis, ac fiat sensibilis per aliam materiam partialem; ut in Sacramento Pœnitentiæ interior attritio vel contritio, quæ est materia partialis, fit sensibilis per confessionem.

Confirmatur: Materia & forma Sacramentorum debent se habere per modum determinabilis & determinantis, quia debent proportionari materiæ & formæ compositorum physicorum, per quorum analogiam assignantur: Sed in Sacramento Matrimonij, nec consensus determinat verba, cum hæc sint antecederet determinata ad significandum consensum; nec verba consensum, quia licet illum reddant sensibilem, non tamen determinant quoad significationem; ex se enim sic consensus est determinatus ad hoc & non aliud objectum exprimentum: Ergo in Sacramento Matrimonij consensus & verba, non se habent ad invicem per modum materiæ & formæ. Unde quiasserunt, ipsos contrahentes, sive eorum corpora quæ sibi invicem tradunt, esse materiam huius Sacramenti; verba autem contrahentium, vel eorum consensus per verba explicatos, esse formam. Hanc sententiam ex Antiquis docet Paludanus, & probabilem censet Capreolus; ex Recentioribus verò Vazquez, Mœratus, & Pontius ei adherent.

Verum, si hæc opinio tantum intenderet, corpora conjugum esse materiam remotam contractus Matrimonij, & circa quam velut objectum versatur, vera esset; sed quia intendit esse totam materiam, adeoque materiam proximam, ex qua conit & componitur Sacramentum Matrimonij, falsa est. Unde sic arguo: Materia proxima Sacramenti dicitur illa ex qua componitur & perficitur Sacramentum: Sed Matrimonium non componitur & perficitur ex ipsis contrahentibus; est enim, etiam ut Sacramentum, quidam contractus, quo contrahentes, seipsos sive sua corpora sibi invicem tradunt; in contractibus autem id quod traditur, non est materia proxima ex qua constant intrinsece; alioquin contractus de domo, de agro, de equo, constaret intrinsece ex ipsa domo, agro vel equo, quod est absurdum, & contra definitionem contractus; nullus enim Jurisconsultus hæcenus contractum definit per res circa quas versatur, sed per mutuum contrahentium consensum, verbo, alijsve signis expressum, vel per mutuum contrahentium obligationem, ut per proprietatem immediate consequentem naturam contractus, ut patet ex Ulpiano L. Labeo 9. ff. de Verb. signif. Quod ergo præcipue in hac sententia displicet, est quod materiam remotam & circa quam Sacramenti Matrimonij, confundat cum materia proxima & ex qua.

Addo quod Theologi communiter docent, omnia Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistere in actione transeunte: Sed hoc esset falsum, si materia proxima Matrimonij essent ipsi contrahentes, vel eorum corpora, matrimonium enim consisteret, saltem ex parte, in re permanenti: Ergo, &c. Item Theologi dicunt, illud esse materiam proximam Sacramenti, pro quo ipsum Sacramentum supponit, ablutio enim v.g. pro qua supponit Baptismus, est materia proxi-

Yyy

ma